

generale est, justum vero speciale. „ Bonum enim est quoddam generale, cujus quaedam species est justitia sicut et ceterae virtutes. In Deo autem invenitur omnis ratio bonitatis; et ideo non solum est bonus, sed justus. Non autem omnes species bonitatis inveniuntur in omnibus, sed diversae in diversis; et ideo non oportet quod species quae est justitia, derivetur ad omnia entia, sicut derivatur bonitas. Unde entium quaedam sunt justa, quaedam vero habent aliam speciem bonitatis; et tamen omnia sunt bona, in quantum derivantur a primo bono. Et in hoc terminatur expositio hujus libri. Benedictus Deus per omnia. Amen.

OPUSCULUM XXXVI.

CONTRA ERRORES GRAECORUM

ad Urbanum IV. P. M.

(EDIT. ROM. I.)

PROOEMIUM.

Libellum ab excellentia vestra mihi exhibitum, Sanctissime Pater Urbane Papa, diligenter perlegi: in quo inveni quamplurima ad nostrae fidei assertionem utilia et expressa. Consideravi autem, quod ejus fructus posset apud plurimos impediri propter quaedam in auctoritatibus sanctorum Patrum contenta, quae dubia esse videntur, et unde possent materiam ministrare errorum, et contentiones dare occasionem et calumniae. Et ideo, ut remota omni ambiguitate, ex auctoritatibus in praedicto libello contentis verae fidei¹ fructus purissimus capiatur; proposui primo ea quae dubia esse videntur in auctoritatibus praedictis, exponere; et postmodum ostendere quomodo ex eis veritas catholicae fidei et doceatur et defendatur.

Quod autem aliqua in dictis Graecorum Sanctorum inveniuntur quae modernis dubia esse videntur, ex duobus aestimo provenire. Primo quidem, quia errores circa fidem exorti occasionem dederunt sanctis Ecclesiae Doctoribus, ut ea quae sunt fidei, majori circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos; sicut patet quod sancti Doctores qui fuerunt ante errorem Aarii, non ita expresse locuti sunt de unitate divinae essentiae, sicut Doctores sequentes: et simile de aliis contingit erroribus: quod non solum in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctorum Augustino expresse apparet. Nam in suis libris quos post exortam Pelagianorum haeresim edidit, cautius locutus est de potestate liberi arbitrii quam in libris quos edidit ante praedictae haeresis ortum: in quibus libertatem arbitrii contra Manichaeos defendens, aliqua protulit quae in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani, divinae gratiae adversantes. Et ideo non est mirum, si moderni fidei Doctores post varios errores exortos, cautius et quasi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei, ad omnem haeresim evitandam. Unde, si aliqua in dictis antiquorum Doctorum

¹ Al. vitae fidei.

inveniuntur quae cum tanta cautela non dicantur quanta a modernis servatur, non sunt contemnenda aut abjicienda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter. Secundo, quia multa quae bene sonant in lingua graeca, in latina fortassis bene non sonant, propter quod eandem fidei veritatem aliis verbis Latini confitentur et Graeci. Dicitur enim apud Graecos recte et catholice, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres hypostases; apud Latinos autem non recte sonat, si quis dicat quod sunt tres substantiae; licet hypostasis sit idem apud Graecos quod substantia apud Latinos secundum proprietatem vocabuli. Nam apud Latinos substantia usitatus pro essentia accipi solet, quam tam nos quam Graeci unam in divinis confitemur. Propter quod, sicut Graeci dicunt tres hypostases, nos dicimus tres personas, ut etiam Augustinus docet in 7 de Trinitate. Nec est dubium quin etiam simile sit in aliis multis.

Unde ad officium boni translatoris pertinet ut ea quae sunt catholicae fidei transferens, servet sententiam, mutet autem modum loquendi secundum proprietatem linguae in quam transfert. Apparet enim quod si ea quae in latino litteraliter dicuntur, vulgariter exponantur, indecens erit expositio, si semper verbum ex verbo sumatur. Multo igitur magis quando ea quae in una lingua dicuntur, transferuntur in aliam, ita quod verbum sumatur ex verbo, non est mirum si aliqua dubietas relinquatur.

CAPUT I.

Quomodo intelligatur hoc quod dicitur quod Filius habet esse a Patre sicut causatum a causa.

Potest autem apud aliquos esse dubium quod in plerisque locis harum auctoritatum dicitur, Patrem esse causam Filii, et Patrem vel Filium esse causam Spiritus sancti. Et hoc quidem habetur primo in verbis Athanasii, quae in Nicaena Synodo dixisse refertur: ubi dicit: "Quidquid habet Filius a Patre, habet sicut verbum a corde, splendor a sole, et fluvius a fonte, et a causa omne causatum. Qui autem injuriatur, vel negat causatum, equidem et causam ejus negat. Dicit causatus genitus Filius: „ Qui me spernit, spernit eum qui me misit. „ Et alibi: "Non est imprincipiatus Spiritus, „ hoc est sine principio et causa: sed potius ipsum demonstrat Deum verum, principiatum tamen non ex tempore, sed ex causa vera originis. „ Item Basilius Episcopus: " Spiritus sanctus ab ipso Deo missus, causam habet ipsemet. „ Et iterum Theodoritus super epistolam ad Heb. "Causa Filii Pater est. „ Apud Latinos autem

non est consuetum quod Pater dicatur causa Filii vel Spiritus Sancti, sed solum principium vel auctor. Et hoc propter tria. Primo quidem, quia Pater non posset intelligi causa Filii per modum causae formalis vel materialis vel finalis, sed solum per modum causae originantis, quae est causa efficiens. Hanc autem semper invenimus secundum essentiam esse diversam ab eo cujus est causa. Et ideo, ne Filius intelligeretur esse alterius essentiae a Patre, non consuevimus dicere Patrem esse causam Filii; sed magis utimur illis nominibus quae significant originem cum quadam consubstantialitate, sicut fons, caput et alia hujusmodi. Secundo, quia causa apud nos correspondet effectui: unde patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat filium esse factum. Nam et apud philosophos prima causa Deus nominatur; omne autem causatum sub universitate creaturarum comprehenditur apud eos: et ideo si Filius causam dicatur habere, posset intelligi quod sub universitate causatorum vel creaturarum comprehenderetur. Tertio, quia de divinis non de facili debet homo aliter loqui quam sacra Scriptura loquatur. Scriptura autem sacra Patrem nominat principium Filii, ut patet Joan. 1: "In principio erat Verbum. „ Nunquam autem dicit Patrem esse causam, vel Filium causatum. Unde, cum causa plus dicat quam principium, non praesumimus Patrem dicere causam, nec Filium causatum. Nihil autem ad originem pertinens, adeo¹ proprie dicitur in divinis, sicut hoc nomen "principium. „ Quia enim ea quae sunt in Deo, incomprehensibilia sunt, et definiri a nobis non possunt; convenientius utimur in Deo nominibus communibus quam propriis: propter quod maxime proprium nomen ejus dicitur esse "Qui est, „ quod est communissimum, ut patet Exod. 3. Sicut enim causa est communius quam elementum, ita et principium quam causa: dicitur enim punctum principium lineae, sed non causa. Et ideo convenientissime nomine principii utimur in divinis.

Nec tamen intelligendum est, quod Sancti praedicti, qui nomine causae et causati utuntur in divinis personis, intendunt diversitatem naturae inducere, aut filium esse creaturam. Sed per hoc volunt ostendere solam originem personarum, sicut nos nomine principii. Unde dicit Gregorius Nyssenus: "Causam autem causatumque dicentes, non naturam per haec nomina significamus. Neque enim haec nomina loco essentiae vel naturae ratione damus; sed qualiter inter se habent differentiam, demonstramus; ut scilicet Filium non ingenuum esse, neque Patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo. „ Item Basilius dicit: " Spiritum sanctum dico ingenuum,

¹ Al a Deo.